

DE OFFICIO FL-  
DELIS ET PRVDENTIS  
MAGISTRATVS, TEMPORE  
pestilentiaë Rempub. à con-  
tagio præseruandi,  
liberandique.

LIBER I.

*Ad Magistratum pertine-  
re publicæ salutis curam.*

CAPVT I.



S A I A S diuinus Propheta, *Est. cap. 49.60.*  
& Homerus poetarum sum- *Homerus*  
mus, alter cęlesti, alter natu- *Iliad. 1.*  
ræ lege excellenter illumi- *Plato 4 de*  
natus, Principes & Magistra- *Rep.*  
tus insigni titulo ornarunt,  
dum ille sua lingua Ome-  
nim, hoc est, nutritios, videlicet Ecclesiæ: hic  
verò ποιμένας λαῶν, id est, pastores populi eos  
appellarunt: nimirum ob id, quòd suos subdi-  
tos salutaribus legibus, & recta disciplina rege-  
re, tueri, atque etiam quæ ad victum necessaria

sunt, illis quodammodo procurare debeant. Et si enim non tribuunt vnicuique in manum, quæ admodum parentes liberis, quod comedant ac bibant: et si nos non alunt otiosos, tamen cum prudenti politica id efficiunt, vt nihil desit, quod quisque vel commercio, vel opera, vel re sibi studeat comparare: quodque honesta ratione comparatum est, tutò possidere & lætè frui possit, non immeritò hoc honorificū nomen & elogiū illis tribuerunt. Quemadmodū autem diligenti nutritio ac fideli pastori nō satis est ea alumno gregique suo procurasse, quæ ad necessarios vitæ usus requiruntur, verū etiam quæ damnum valetudini inferre possint, auertere: quæ verò in discrimine constitutis salutare remedium afferre, prospicere satagunt: Ita quoque prudens ac fidelis magistratus non tantū curam & industriam illis rebus adhibere debet, quæ res ad commercia iustè habēda, ad artificia mechanica gnauiter obeunda, ad tranquillitatem inter ciues conseruandam, pacemque colendam pertinent, sed etiam ea prohibere debet, quæ illa aut tollere, aut magna ex parte labefactare, aut vniuersam societatem funesto contagio inficere, ac miserabili casu vitam vniuscuiusque attentare & perdere queant: maximam imperij partem arbitratus communis salutis procurationem. Si enim dii sunt, & (vt psalmista ipse rex ac gubernator eos vocat) filij Excelssimi, profectò Deū, à quo indies tum necessaria postulamus, tum

non

*Comparatio.*

non necessaria aut aduersa deprecamur, hac ratione sedulò imitandũ sibi esse scire debēt, vt nō solũm vtilibus, necessariis, salutaribúsq; rebus ciuitatem instruant, sed ab inutilibus etiã perniciosisq; præseruent ac liberent. Quod cùm videret, quantũuis veri Dei inanis gentilitas summè necessarium & propè diuinum esse, non ἀναλογικῶς, vt Iudæi ac Christiani, sed ἀληθῶς reges, Principesque populi, Deos vocare, & diuinis honoribus mortales colere cœpit. Nam quum nulla vnquam tam barbara natio extiterit, quæ non habuerit aliquem Deitatis sensum: imò quum Apostolus hac de causa ipsas quoque gentes inexcusabiles esse, quia id quod de Deo cognosci possit, in animis suis inscriptum haberent, disertè affirmet: quis credat eos toto cælo aberrasse, quum pro diis colendos censuerunt, (quod Plinius diuinum esse dixit) quos alios omnistudio iuuare animaduertent? Quamuis enim non rectè tribuerint pluribus, quod debebatur vni: tamen naturæ viribus a deo profecerunt, vt Dei naturam officiũque propè cognouerint, licet non probè coluerunt. Præterea alibi idem Apostolus comparat Ecclesiam cum humano corpore: sicut enim mēbra suam singula habent facultatem & functionem, vna tamen vi cerebri cuncta reguntur, vtilia appetunt atque amplectuntur, noxia declinant: ita quoque Magistratus, qui in externa hac societate caput vulgi sunt, reliquis ciuibus salutaria

*Galen. ad  
Pison. cap.*

*2.  
Psal. 81.*

*Rom. 1.*

*Lib. 2 nat.  
hist. cap. 7.*

proponere, dānosa verò arcere debēt, vt verè pa-  
storū & nutritiorū munus implere dici possint.

*Obiectio.*

Quod si verò dicat aliquis, Dei propriū mu-  
nus esse, conseruare & regere humanum genus,

*Responsio.*

quod singulari consilio condidit: Respondeo ve-  
rum quidem id esse, sed quemadmodum Deus  
per ministerium hominū nos docet, liberat à  
peccatis, gratiæ suæ participes reddit ac seruat,  
quamuis re ipsa hæc non sint hominis opera: ita  
& gubernat conseruatque vitam humanam per  
hominum illorum ministerium, quos ad hoc  
munus eligit, & huius laudis participes fieri fi-

*Cic. de leg.*

nit. Hinc Romulus, qui Romanam urbem con-  
didit, & Quirinus ille fuisse existimatur, quod à  
iure Deorum consortio ascriptus est, propterea

*Romulus.*

*Augustin.  
de ciuit.*

*De 2, cap.*

*15.*

*Hercules.*

quòd se benignum beneficūque gubernato-  
rē populo exhibuisset. Hercules ex Ioue & Alc-

mena genitus, non solū nomen hoc (ita enim  
responderat oraculum, ἦσα γὼ ἀνθρώποισι φέρων

κλέεσσι ἀφθιτον ἔξει) obtinuit, quod immortalī  
honore fuit consecratum, sed etiam in numerū

deorum relatus est, quòd monstra quæ homini-  
bus damna darent, grauiāque pericula afferrēt,

indefesso studio summisque laboribus è medio  
tolleret. Apollo & filius eius AEsculapius pro-

*Apollo.*

*AEsculap.*

pter opem medicam, qua hominibus maximè  
profuerunt, deorum nomen adepti sunt. Eru-

bescereferens, cognato quodam errore nostri  
maiores multis erexēre templa, ac tantū non

diuinum tribuebant cultum, de quibus vix cō-  
stat,

stat, an in rerum natura vnquam extiterint, aut opinio saltem leuis esset, quòd aliis similia officia præstiterint. Quare etsi non parum illos deliquisse existimemus: tamen quòd agnouerint, singulari gloria dignos esse, qui pluribus profuissent, magis excusandam, quàm imitandam eorum infirmitatem censeo. Nam hoc certè ex illorum credulitate cõstat, maximè decere, qui aliis præsumunt, subditorum suorum salutem quibuscunque modis procurare ac tueri, omnibus quæ eam labefactare possint, maturè & prudenter è medio sublatis. Quamobrem, quis velit dubitare, in hoc quoque rerum statu, quod de hîc agimus, videlicet luis pestiferæ, pium & prudentem magistratum non oscitanter, sed alacriter, (segnitiei enim hîc locus non est, & quod Hippocrates inquit, in omnibus morbis periculosam esse moram, id præcipuè in hoc lethifero morbo vsu venit) non parcè, sed copiosè agere debere, neque modò de salutaribus rebus prouidere, verùm etiam de noxiis sollicitum esse, vt maturè & prudenter auertat, oportere? Cùm enim pestis sit perniciosissimus simul & contagiosissimus affectus, imò (quemadmodum Galenus loquitur) quasi draco quidam, qui contra hominem venenum spirat, induciãsq; omnino negat, & rarò ad pacis condiciones descendit, grauitèr peccat in charitatem, quisquis non pro virili sua parte aliquid præsidij, tanquam antidotum, quod istum draconem domet, conqui-

*Gal. ad Pison. 2.*

*In epistola ad Crates.*

*Vide Octavianum med. in præfat. operis sui.*

rat & afferat: grauisimè autem Magistratus, qui  
 in hac communi calamitate præ ceteris pluri-  
 mum potest & debet. Neque nos hîc mouere de-  
 bet quorundam insignium & eruditissimorum  
 virorum autoritas, qui nimium imprudenter  
 negare videntur, ad Magistratum hanc curam  
 pertinere, cuius non sit, homines à morbis libe-  
 rare, sed vitæ duntaxat & fortunarum nostrarû  
 securitatem & pacem tueri: satis enim vel ipso-  
 rummet verbis probari potest, etsi Magistratus  
 non debeat curare singulorum hominum mor-  
 bos, aut ab illis qui publicè non grassantur, neq;  
 communes causas habêt, præseruare (hoc enim  
 medicorum proprium est officium) tamè quan-  
 do illorum muneris esse affirmât, vt ministerio  
 & autoritate sua præstent, vt subditi commodè  
 viuere possint: quis non intelligit, hanc commo-  
 ditatem etiam ad corporis salutem pertinere?  
 Quod qui non credit, is nunquam vidit, quàm  
 miserè perturbentur omnia hominum officia,  
 Ecclesiarum ordo, studia pietatis, iuuetutis in-  
 stitutio, commercia ciuium, vnde singulorum  
 grauisimam destructionem necesse est sequi,  
 quando pestilentia urbem vel regionem aliquâ  
 infestat. Quare te ipsum appello, quisquis in ea  
 sentètia es, vt non putes, Magistratus esse, remp.  
 à morbis (præsertim verò Epidemicis) præser-  
 uare, nonne morbi eiusmodi inter reliquas in-  
 commoditates numerandi tibi videntur? An  
 verò commodè his grassantibus viuere inter se  
 homines

homines possunt? Certè affirmare id non potes, si antè quid pestis sit, quidve, vbi semel inualuerit, agat, vnquam es expertus. Cur ergo, inquã, alienum à magistratus officio esse putas, homines à morbis eiusmodi liberare, id est, publica cura tueri? Amabò, non vidisti, quod in omnibus bene constitutis rebusp. vsitatum est, quàm gnauiter in ciuitatibus Magistratus curet, cumuletq;, quæ seruiunt in vsus bellicos? quàm studiosè præparet arma? quàm sedulò instructa præsidia retineat, maximè quando aliquid metuit futuri incommodi? at in quem finem, nisi vt commodè viuatur? Quare aluntur equi, ædificantur naues, reparantur mœnia, circumducuntur fossæ, eriguntur turrets & aggeres, nisi vt ciues tuti contra hostiles insultus viuant commodiùs? Aluntur simili de causa canes, stringuntur retia, conducuntur venatores, coeuntq; cum rure cohortes, si quando lupi aut similes beluæ regionem infestant. Memini in regno Franciæ Leopardos quosdam, quos Rex alere solet: custodia euadere, atque passim agricolis damnum vitæ dare. Integra regio cõscripta fuit, nec sumtibus, nec laboribus parsitum est, donec liberaissent terram illa formidine. Quátò igitur iustiùs in hac quoque calamitate prouidam aliquam rationem instituere oportabit, qua tam potès hostis, & fera belua, quæ breuissimo tempore latissimè grassari solet, & velut cancer, vicina quæq; depascit, à ceruicibus nostris auertatur? vt ne

*Le. Lem-  
nius 2 de  
occul. nat.  
miracul.  
cap. 4.*

*Leprosi.* cum immundis leprosis versarentur mundi in veteri Testamento, Magistratus autoritate, illorum fiebat separatio, neque prius in populum reliquum recipiebantur, quam à constitutis ad hoc presbyteris nudati iudicarentur. Item hodie quadam illorum similitudine (nequaquam enim idem utrobique est malum, neque eadem separationis causa, ut dicitur alibi) Elephantiaci nostri censura publica abs reliquo hominum conuictu remouentur. Eandem retinet consuetudinem, eademque prudentia clarissima hodie, & toto ferè orbe terrarum potentissima Respublica Venetiana (ad cuius solertiæ imaginem hanc meam qualemcûque institutionem ruditer adumbraui) in diiudicandis tractandisque pestiferis. Eandem huic propè frequentissimo emporio, ac nominis celebritate similis vrbs Antuerpia. Patauij nobilissima ciuitate vidi ipse, quando sub medicis ibi militabam, Magistratû conuocatis medicis, ac causa, quæ tunc à solo cõtagio orta erat, ab illis explicata, nihil industriæ, nihil sumtuum prætermisisse, ut ab ea ciues suos præferuaret, liberarétque: quod & breui tempore, etiam si malum per totam urbem sparsum erat, feliciter perfecit. Idem dicere possum de Philippo Hassiæ Landgrauio, qui annis ab hinc aliquot, quâdo pestis in vicinis partibus gliscebatur, tam sollicitè, tamque paternè ex medicorum suorum consilio, quod per omnes ditiones diuulgatum fuit, egit, ut meritò exemplar esse possit,

possit, quod reliqui pij & prudentes Principes  
 & Magistratus imitentur, de quo in sequenti ca-  
 pite latiùs dicetur. Postremò idem quoque fe-  
 cit nostræ inclitæ, & mihi obseruandæ Reipub.  
 Magistratus, cùm anno 1565, hanc beluam pau-  
 cas suæ ciuitatis ædes quorundam imprudentia  
 inuasisse percepisset, me in Senatum vocatum  
 rationem ac consilium rogarunt, quo possent  
 commissum sibi à Deo populum illæsum con-  
 seruare: pia & planè Christiano Magistratu, nisi  
 vehementer erro, dignissima solitudine. Quæ  
 cùm ita sint, si Principes Magistratúsque nomen  
 suum (quod initiò diximus non solùm à Pro-  
 phetis, sed etiam à sapientibus Ethnicis illis im-  
 positum esse) tueri volent, & quod dicuntur, nu-  
 tritij & pastores verè cupient esse, fideliter & pru-  
 denter agendum sibi esse ducent, vt & in hac tē-  
 poris constitutione nihil curæ prætermittant,  
 quod ad huiusmodi lethale & contagio-  
 sum malum auertendum, suosq; sub-  
 ditos ab eo præseruandum, li-  
 berandúmque quoquo  
 modo faciat.

